

Melicocci florem ex Schini caractere dignoscerem, si viderem.

Avicenniae florem vidi exsiccatum, comparabo cum Bontia, sed vix crederem genere posse sociari.

Cedrelae fructus videtur adeo singularis, ut vix queat cum ullo comparari: 1 quinque valvis, 2 Receptaculo seminum pentagono magno, 3 seminibus deorsum imbricatis, 4 figura etc. carnosae in alam membranaceam desinentia. Si haec omnia in Cedrela 2 Br. mirum quod flos adeo recedat a reliquis Cedrelis.

Crederem facile Brownium poculis fuisse deditum et voluptuosum, prout mos sit conterraneis et popularibus. interim certum est quod nullus plura pure et dilucide exposuerit in America. Certe si queas plura praestare, maximus evadas. Video equidem multos lapsus, sed hos non attendo, ubi evitare studeo, et semper eum magni facio, ob ea quae rite praestitit, quaeque certe magna sunt.

Bombacem describis polyandrum et aculeatum et inermem, omnes me taxarunt quod dixerim antea polyandrum ex Horto Mal. et strenue impugnant, asseruntque non visum nisi pentandrum.

Durantam non judico, nisi videam florem, tum dicam num ab Ellisia sit diversa.

Justiciam a Ruellia demtis staminibus vix distingui posse crederem; fructus idem est. Corolla in diversis speciebus diversa.

Fructus adpictus cujus 2 foliola calycina adjecisti videtur esse meus.

Triplaris duarum specierum flores misisti. quam ego vidi erant flores majores, qui in fundo habent petala ista lanceolata, qualia non video in mea, alterius flores petalis istis bifidis acutis antea non vidi; si modo petala sint.

Cancrum istum curiosissimum doleo non adesse, ut ejus figura prostaret, nec habeo amicum in Curacao, unde petam. nec possum ex tuis datis eum intelligere.